



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 33. Frater Joannes Rupicæsius fanaticus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A. C. 1356.

§. XXXIII.

*Frater Joannes Rupicæsius fanaticus.*

*C Nang. p. 822. I. Vita Innoc. p. 331. Et not. p. 942. Froiss. l. I. c. 211.*

Interim Avenione Papa in carcere tenebat quendam fratrem Minorem Joannem Rupicæsium e cœnobio Auriliacensi, qui se gerebat pro Vate sacro, & multos prædicebat eventus, se divino spiritu afflatum perhibens. Moribus erat puris, ac versatus in sacris litteris, simulque in profanis scriptoribus: & vero satis honeste asservabatur. Anno 1356 Cardinalis Raymundus Caniliacensis Archiepiscopus Tolosanus Avenione commorans eum scripto rogabat, quamdiu duratura essent bella tum Galliam agitantia? Frater Joannes respondit: Tuum scriptum, si ausim dicere, Deum graviter lædit: cum præter illum nemo præscire possit, quod quæris. Non sum Vates divinus: sum miser homuncio peccans; & quæ assero, non dico ex meo cerebro, sed solum per intelligentiam sacrorum Vatum. Hæc bella durabunt & crescent ad cœlum usque: quidquid adhuc videmus, parum est. Tota orbis facies mutabitur: ubique brevi regnabit tyrannis: multi potentes Viri exuentur suis dignitatibus, & crudeliter in urbibus

neca-



necabuntur. Alieni a fide Christiana La-  
 tinorum regna invadent: flagellum An-  
 glorum aggravabitur, donec omnes regni  
 partes perculerit. A jebam id publice  
 abhinc annos viginti & amplius: ideo  
 infanus habebam. Ad Ecclesiæ reditus  
 quod attinet: quamprimum perdentur:  
 Clero eos adiment populi, & vix relin-  
 quent, unde vivat. Romana curia ex  
 urbe cumalata vitiis Avenione aufugiet,  
 antequam sex anni effluerint. Videbi-  
 mus falsitatem adscripti temporis: & ec-  
 ce specimen oraculorum fratris Joannis  
 Rupicæsii!

## §. XXXIV.

*Cleri Gallici querelæ de imperatis  
 sibi decimis.*

Rex Joannes bello Anglorum pressus  
 premebat suam gentem tributis, Cle-  
 rumque ipsum decimis. Papa Innocen-  
 tius illi hanc in sententiam scripsit: Ro-  
 manam ad Curiam delatæ sunt querimo-  
 niæ, quod e Ministris tuis aliqui Cle-  
 rum regni tui ad solvendam reditus an-  
 nui decimam compellere velint, præte-  
 xentes consensum paucorum Præsu-  
 lum, quibus reliqui nullam dederant po-  
 testatem; præterquam quod id eis non  
 liceret sine permissu Supremæ Sedis.

K. 4.

Insu-

M. VIII. 16.  
c. 18.Rayn. 1356  
n. 5.